



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XL. Proponuntur, & dissolvuntur alia argumenta Contrariorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

sicque pro illis: Arguēs 1. Sancti Patres docent, non posse purum hominem liberare genus humanum à peccato; atqui si posset aliis mereri de condigno gratiam, & remissionem peccati, posset liberare genus humanum à peccato; ergo &c.

834. Probatur minor primò, quia parum refert, quod libertas eveniret per modum meriti, aut condignæ satisfactionis. Secundò, quia D. Cyrill. Alexand. in Concil. Ephes. tomo 6. cap. 4. & cap. 14. D. Proclus *ibid.* cap. 7. D. Basil. in psal. 28. D. Athan. D. Cyprian. D. Leo, D. Iren. D. Fulgent. & alii, quos adducit P. Vasq. cit. cap. 3. & P. Granad. supra tr. 2. d. 1. sect. 3. rationem illius impotentiae tradunt ex eo, quod purus homo non potest exhibere pretium, hostiam, & holocaustum sufficiens, sive condignum redemptione; sed meritum condignum gratia, & remissionem peccati aliorum, est pretium, hostia, & holocaustum sufficiens, & condignum redemptione; ergo &c. Tertio, quia Sancti Patres eodem modo, quo loquuntur de satisfactione, loquuntur etiam in specie de merito, ut loquitur D. Leo serm. 12. de Passione: *ibi: Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatae mortis evincere, venit è caelo medicus singularis.* Et D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 14. *Quisquis, inquit, ausus fuerit dicere, justificare te, consequens est, ut dicat etiam, crede in me. Quod nemo Sanctorum recte dicere potest, nisi Sanctus Sanctorum.* Et infra concludit: *Sicut non est credendum, nisi in solum Deum, ita nullam creaturam justificare posse, nisi solum Deum; sed ex phrafi D. Leon. & D. Aug. ibi justificare alium, est influxu meritorio capitis gratiam impios justificantem in alium transfundere, quam solus Christus potest transfundere, & nullus Sanctus imitari; ergo &c.*

835. Respondeo argumentum, ejusque probationes nullam vim habere contra praecedentes conclusiones; siquidem Sancti Patres, ut dicit P. Ripal. cit. num. 57. aperte ibi remouent à puro homine meritum remissionis peccati, quæ sit liberatio, & redemptio à peccato, & ita perfectum, ut seclusa gratia remuneratoris, sit æquale æqualitate arithmetica, non autem solâ geometricâ, de qua loquimur, & est dependens à gratia remuneratoris, cum Deus pro suo libitu possit munera, & præmia longè inæqualia nostris operibus proponere, sitque gratia, & largitas promittere omnium suprema, licet præcedente promissione pertineat ad justitiam illa conferre. Unde Sancti Patres de æqualitate meriti perfectâ, & arithmetica, qualis fuit æqualitas meriti Christi Domini; non autem de æqualitate geometricâ, quam dicimus posse dari in creatura merenti alteri remissionem peccati; ac proinde agunt de merito condignè satisfactorio, & non de condigno purè meritorio, quæ duo longè discrepant. Unde:

836. Advertes, satisfactionem condignam pro peccato multipliciter differre à merito condigno remissionis peccati: Primò ex parte condignitatis, quatenus ad condignitatem satisfactionis requiritur æqualitas inter bonitatem operis satisfaciens, & malitiam peccati: ad condignitatem verò remissionis non ita, sed sufficit, quod bonitas operis æquetur bono, seu pretio remissionis, quod non est æquale malitiæ peccati. Secundò, ex parte effectus moralis in quem diriguntur; siquidem meritum remissionis refertur ad tollendam aversionem, & indignationem rationabilem personæ offensæ; satisfactio autem ad extinguendum jus personæ offensæ,

quod habet ad passiones, sive pœnas satisfactorias offendenti, & ad exigendum jus, quod habet in obsequia, & actiones ipsius offendenti.

Tertio ex diversâ conditione personæ satisfaciens, & merentis; siquidem offensus, cui fit satisfactio, obligat tanquam creditor, offendens verò satisfaciens obligatur ad satisfactionem tanquam debitor: at verò ad merendum è contra, non supponitur merens de condigno remissionem obligatus, sive debitor, sed obligat tanquam creditor remuneratorem præmii. Item merens debet esse inferior præmiante: non ita verò satisfaciens. Quarto ex diversa efficacia ad extinguendam offensam; siquidem meritum condignum illum extinguit dependenter à favore, & condonatione Dei: at verò satisfactio condigna independenter ab illa. Ex quibus patet Sanctos Patres nihil dicere contra præcedentes conclusiones, utpote qui loquentes de merito condignè satisfactorio, & non purè meritorio in sensu longè diverso locuti, & intelligendi sunt.

## SECTIO XL.

### Proponuntur, & dissolvuntur alia argumenta Contrariorum.



ARGUES 2. cum P. Vasq. cit. Gratia habitualis solum potest conferre valorem condignum operibus iusti, ut sibi, non verò aliis mercatur; ergo iustus non potest alteri de condigno mereri gratiam cum remissionem peccati. Respondeo negando antecedens, ut patet ex supra dictis à num. 807.

ARGUES 3. cum P. Torref. cit. Si iustus posset mereri alteri de condigno remissionem peccati, non esset necessaria Incarnatio; sed hoc non est dicendum; siquidem Sancti Patres communiter asserunt, necessariam fuisse Incarnationem ad redimendos homines à peccato; ergo &c. Respondeo negando majorem; adhuc enim fuisset necessaria Incarnatio ad condignam satisfactionem pro peccato, ad quam potius, quam ad meritum condignum dicitur à Sanctis Patribus fuisse necessariam.

ARGUES 4. cum P. Hurt. cit. Si iustus posset alteri de condigno mereri remissionem peccati, posset etiam merito de condigno pro illo satisfacere; siquidem eo merito satis daret Aeterno Patri pro debito peccati; nam meritum condignum est pretium æquale debito peccati; pretium autem æquale debito satisfacit de condigno pro illo, sicut pretium æquale debito pecuniæ satisfacit pro illo; sed purus homo iustus non potest condignè satisfacere pro debito peccati; ergo neque condignè mereri ejus remissionem. Respondeo primò, nullam esse consequentiam à merito condigno remissionis peccati ad condignam illius satisfactionem; siquidem longè inter se distant, ut patet ex dictis à num. 836.

Respondeo secundò, dato, quod meritum condignum latâ quadam significatione dici posset condigna satisfactio, non esse tamen illam satisfactionem condignam, quam Sancti Patres, & Theologi negant possibilem puro homini, sed aliam, quæ par sit malitiæ peccati, & attento ipsius valore se ipsa immediatè sufficiens extinguere offensam & jus Dei adversus peccatores acquisitum seorsim à condonatione ipsius.

ARGUES 5. cum P. Lugo cit. Si iustus posset sibi, & alteri mereri de condigno remissionem peccati, vilesceret

visceret gravitas offensæ Dei; nam si homines crederent, Deum posse placari per obsequia purè humana, & veniam condignè obtinere, facilius auderent peccare, & minus graviter sentirent de offensæ Dei, quàm oporteret, ad illam omninò cavendam iuxta illud D. Cyprian. serm. de Passione: *ibi: Sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus*; sed gravitas offensæ Dei, licet finita sit, vendicat secum ferre impotentiam obtinendi condignè veniam, ut sic homines arceat ab eà committendâ; ergo &c. Respondeo negando majorem, quia licet homo possit condignè mereri remissionem peccati, cum non possit pro illo condignè satisfacere, adhuc ex hoc capite, nempe ex impotentia satisfaciendi, potest satis æstimare ejus magnitudinem, & horrere. Adde, licet possit pro illo condignè satisfacere, sufficere ad frændandum hominem ab eo committendo, tum infinitam jacturam bonorum; tum pœnarum, & malorum aggregationem, quæ malitiæ peccati annexa sunt.

843. Argues 6. cum aliquibus recentioribus, & efficacius: Meritum condignum remissionis peccati debet esse tantæ bonitatis, & æstimationis, quantæ malitiæ & vilitatis est peccatum; sed nullum meritum puri hominis est hujusmodi; alioqui posset purus homo cõdignè satisfacere satisfactione arithmetica pro peccato; ergo nullum est meritum puri hominis condignum remissionis peccati. Probatur major, quæ sola indiget probatione, quia bonitas, & æstimatio meriti condigni debet esse bonitas, & æstimatio præmii; siquidem inter præmium, & meritum condignum datur æqualitas; sed bonitas, & æstimatio remissionis peccati est tanta, quanta est malitia, & vilitas peccati; ergo bonitas, & æstimatio meriti condigni remissionis peccati debet esse tanta, quanta est vilitas & malitia ipsius peccati; sed hoc non est dicendum; ergo neque quod sit in puro homine meritum condignum remissionis peccati.

844. Respondeo cum P. Ripal. cit. num. 49. & 63. negando majorem argumenti, & minorem probationis illius; neque enim tantæ bonitatis est remissio peccati, quantæ malitiæ est ipsum peccatum. Patet primò, quia malitia peccati tanta est, ut hominem constituat in summa miseria; sed bonitas remissionis peccati non est tanta, ut hominem constituat in summa felicitate; siquidem homo, cui Deus solùm remisit peccatum, dici non potest summè felix eo gradu, quo peccator dicitur summè infelix, cum adhuc maneat subiectus periculo iterùm peccandi, careat visione Beatâ, gratiâ, & amicitia Dei, (si remissio fiat per extrinsecam condonationem) aliisque bonis innumeris; sola autem summa felicitas est tanta bonitas, quanta summa infelicitas, & miseria est malitia peccati; ergo bonitas solius remissionis peccati non est tanta, quanta est malitia peccati.

845. Secundò, quia per peccatum redditur homo positivè dignus inimicitia Dei, & innumeris miseriis, ac malis differentibus à peccato, per remissionem verò peccati præcisè non constituitur positivè dignus amicitia Dei, & aliis bonis differentibus à bono remissionis; sed sola dignitas positiva amicitia Dei, & aliorum bonorum est tam bona, quàm mala est dignitas positiva inimicitia Dei, & aliorum malorum; ergo remissio peccati non est tam bona, quàm mala est malitia peccati.

846. Instabis 1. Bonitas, & æstimatio privationis mali est æqualis quantitati mali, quâ privat; sicut etiam malitia privationis boni debiti est omninò æqualis quantitati boni, quâ privat; nam tantum æstimatur privatio doloris ad gaudium, quantum dolor ad

odium; sicut tantum est jactura centum aureorum, qui mihi debentur, quanta est æstimatio ipsorum; ergo tanta est æstimatio privationis, sive remissionis peccati, quanta est malitia formæ, sive ipsius peccati. Respondeo negando antecedens; neque enim privatio mali est tantæ bonitatis, quanta est malitia, quâ privat, neque privatio boni est tantæ malitiæ, quanta est bonitas opposita.

847. Patet primò, quia carentia Unionis Hypostaticæ in naturâ lapsâ non est malitiæ infinitæ; & tamen existentia ipsius est bonitatis infinitæ; ergo privatio boni non est tantæ malitiæ, quanta est bonitas opposita, quâ privat. Dicent, solam privationem boni debiti esse malam subiecto eo gradu malitiæ, quo forma opposita est bona; Unionem autem Hypostaticam non esse debitam naturâ lapsâ. Sed contra primò, quia etiam privatio boni necessarii, licet indebiti, est mala subiecto, sic enim carentia pecuniarum & bonorum, quibus homo ad vitam indiget, est ei mala, utpotè quem redigit in statum miseriæ, licet ad ea bona nullum jus habeat; sufficit enim ad miseriam, & malum naturæ privatio boni necessarii, sive debiti solo indigentia debito; sed carentia Unionis Hypostaticæ in naturâ lapsâ esset privatio boni omninò necessarii, & debiti indigentia debito; siquidem absque illa non posset redimi à captivitate peccati, & liberari à miseria, in quam dejecta est; & tamen talis carentia, ut diximus, non esset tantæ malitiæ, quanta est bonitas formæ oppositæ; ergo &c.

848. Contra secundò, quia Unio Hypostatica posset à Deo promitti post hanc vitam justis, qui gratiam semel susceptam conservaverint usque ad finem vitæ; & aliis, qui ingratis per peccatum interrupta decesserint, posset à Deo promitti sola Visio Beatæ; sed tunc carentia Unionis Hypostaticæ in justis, qui gratiam semel interrupserunt per peccatum, esset privatio boni debiti ex promissione Dei; & tamen talis privatio non esset eis malum infinitum, licet Unio Hypostatica esset eis bonum infinitum; ergo privatio boni debiti non est æquè mala, ac est bona forma opposita.

849. Dicent primò, Unionem Hypostaticam non fore eis justis debitam absolutè, sed tantum conditionatè. Sed contra, quia privatio Visionis Beatæ est mala, & pœna damnatis; & tamen non fuit eis debita absolutè, sed solùm conditionatè. Dicent secundò, unionem Hypostaticam in eo eventu non fore debitam de condigno. Sed contra primò, quia privatio gratiæ sacramentalis est mala, & pœna damnatis; & tamen non fuit eis debita de condigno, sed solùm de congruo. Secundò, quia licet justus non mereatur de condigno Unionem Hypostaticam, potest tamen ex promissione divina acquirere jus justitiæ ad illam; privatio autem boni, quod jure justitiæ debitum est, mala est.

850. Patet secundò, bonitatem privationis mali non esse æqualem quantitati mali, quâ privat; nam bonitas sive physica, sive moralis actus præcepti est formaliter privatio malitiæ omissionis ipsius; & tamen ea bonitas non est tanta subiecto, quanta est malitia peccati omissionis; ergo &c. Dicent, eam malitiam, antequam committatur, non esse debitam subiecto. Sed contra, quia ut privatio mali sit bona subiecto, non requiritur, ut malitia sit debita; siquidem ratio debiti in malo potius minuit, quàm auget bonitatem privationis; majus enim moraliter censetur malum indebitum, quàm debitum; & sic bonum innocentia maximum est, licet sit privatio mali indebiti; ergo quod malitia peccati omissionis, quâ privat actus præceptus, sit indebita.

indebita subiecto, non minuit rationem boni in privatione sui ipsius; & tamen bonitas ejus privationis non est æquæ bona subiecto, quàm mala est ei malitia peccati omissionis; siquidem bonitas actus præcepti, sive physica, sive moralis, non meretur tantum gaudium, quantum mereretur malitia peccati omissionis; neque secum fert tantam felicitatem, quantam infelicitatem fert ipsa malitia; ergo &c.

851. Ad illud, quod facta instantia, ut probationem supponit, dicimus, etiam in malis physicis pejorem esse præsentiam doloris in ratione mali, quàm est bona ipsius absentia in ratione boni; siquidem dolor præsens necessitat naturam sentientem ad actua-lem molestiam, & positivum angorem per sui sensationem necessariam; absentia verò illius non necessitat ad positivam delectationem; majus autem malum est naturæ sentienti, quod necessitat ad positivum cruciatum, quàm bonum, quod ad sui delectationem non cogit. Unde si aliquando privatio boni, seu mali, secum tantam adducit bonitatem, aut malitiam, quantam fert bonum, aut malum, quo privat, ut accidit in jactura centum aureorum, quæ tantæ malitiæ æstimatur, quantæ bonitatis censetur eorum possessio, hæc quidem æstimatio non est faciendâ ex communi regula, quæ universaliter comprehendat, omnem privationem esse æqualem bonitate, aut malitiâ bono, aut malo, quo subiectum privat, ut patet ex supra dictis, sed ex singularibus conditionibus, & circumstantiis, quæ prudentem æstimationem faciunt æqualem, ut faciunt in præsentis, aut inæqualem, ut faciunt in supra adductis.

852. Instabis 2. Nulla est pars in quantitate malitiæ, seu gradus in ejus intensione, cujus privatio non sit bona; ergo tot sunt partes, seu gradus bonitatis in privatione mali, quot sunt partes, seu gradus in formâ subiecti malâ; ergo tanta est bonitas privationis, quanta est malitia formæ. Confirmatur, quia tanta est amabilitas privationis mali, quanta est odibilitas ipsius mali; siquidem eo affectu, & intensione, quâ voluntas detestatur malum, appetit mali privationem, & è contra; detestari enim malum, est velle, & amare ejus privationem; ergo etiam tanta est bonitas privationis mali, quanta est ipsius mali malitia; siquidem pari omnino gradu amabilitas sequitur bonitatem, & odibilitas malitiâ.

853. Respondeo distinguendo secundum consequens; tanta est bonitas privationis, quanta est malitia formæ extensivè; concedo consequentiam: intensivè; nego consequentiam: nam licet tot sint privationes mali bonæ, quot sunt partes, sive gradus malitiæ ipsius mali; unaquæque tamen privatio mali bona non est intensivè, & quasi substantia-liter tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est unaquæque pars, seu gradus malitiæ in malo, quo privat, ut patet ex supra dictis.

854. Ad confirmationem respondetur primò, si quid probat, etiam probare, non solum privationem boni debiti, sed etiam indebiti, esse æqualis odibilitatis cum amabilitate boni oppositi; siquidem e-tiam eodem affectu, quo appetimus bonum indebitum, cupimus destructionem privationis ipsius; & eodem, quo cupimus destructionem privationis boni indebiti, appetimus existentiam ipsius boni; & tamen Adversarii non admittunt, tantam esse malitiam privationis boni indebiti, quanta est bonitas ipsius boni; ergo &c.

855. Respondeo secundò, privationem mali, aut boni, dupliciter posse amore, sive odio prosequi: primò propter bonitatem aut malitiam intrinsecam

ipsius privationis: secundò propter bonitatem, aut malitiam boni, aut mali, quo privat; licet igitur amore boni prosequamur odio ejus privationem; & odio mali prosequamur amore illius privationem: quando tamen privatio mali appetitur propter malitiam ipsius mali, & non propter bonitatem ipsius privationis; & privatio boni odio habetur propter bonitatem ipsius boni, & non propter malitiam ipsius privationis; potest odium mali esse intensivè majus, quàm amor privationis illius; & amor boni esse major intensivè, quàm odium privationis ipsius; siquidem, ut patet ex dictis, potest esse major bonitas boni, quàm malitia privationis ipsius boni; & major malitia mali, quàm bonitas privationis ipsius mali; sicque ferri voluntas intensiori affectu in rem, cujus est ipsa privatio, quàm in ipsammet privationem; nam Propter quod unumquodque tale, & illud magis.

Instabis 3. Æstimatio beneficii crescit ex indignitate subiecti, cui confertur; sic enim idem beneficium collatum indigno majoris æstimabilitatis moralis est, quàm collatum digno; ac proinde quò subiectum est indignius, eò æstimabilius est beneficium; ergo licet privatio peccati non sit tam bona bonitate absolutâ, quàm peccatum est malum, erit tamen illi æqualis bonitate saltem respectivâ ad indignitatem subiecti. Respondeo ex indignitate subiecti crescere æstimationem beneficii geometricè, non tamen arithmeticè, ita ut tanta sit æstimatio beneficii æqualitate rei ad rem, quanta est indignitas subiecti; siquidem æstimatio beneficii potest esse omnino finita ob sui exiguitatem; indignitas verò subiecti penè infinita ob ingentem ejus malitiam; ac proinde ei inadæquata beneficii collatio, solumque geometricè adæquata.

Urgebis: In physicis virtus activa formæ debet esse saltem æqualis virtuti reſtitivæ ad inducendam formam in subiectum; sed indignitas subiecti est reſtitiva collationi doni; ergo amor collativus doni debet esse æqualis indignitati, & displicitati peccati; sed pretium, & æstimatio doni tantum augetur, quantum augetur amor conferens ipsum donum; ergo augetur tantum, quantum augetur indignitas, & displicitati peccati. Resp. virtutem activam debere quidem esse æqualem virtuti reſtitivæ solum inadæquatè quoad reſistentiam formæ inducendæ per causalitatem virtutis activæ, non verò adæquatè quoad reſistentiam omnium formarum, quibus potest reniti virtus reſtitiva.

Patet, nam si detur una forma reſistens calori, & siccitati, virtus inducens calorem, & superans reſistentiam ejus formæ, non debet necessariò continere etiam virtutem activam, & induktivam siccitatis, quâ virtus ipsa activa caloris adæquetur omnino virtuti reſtitivæ talis formæ, sed poterit superare ejus reſistentiam quoad inducendum calorem, quin superet ejus reſistentiam quoad inducendam siccitatem; sicque poterit esse major virtus reſtitiva, quàm activa vincens solum partem illius reſistentiæ; ergo similiter potest esse major virtus, sive indignitas reſtitiva peccati ad collationem beneficii, quàm amor collativus ipsius; siquidem indignitas peccati pluribus aliis beneficiis reſistit, quæ conferri necesse non est, quando unum tantum beneficium confertur, qualis est remissio ipsius peccati.